



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Benedictus Redivivus Hoc est: Benedictinij Ordinis
Vetustißimi Amplißimique, Nostra, ac supera ætate
Jmmarcescibilis Vigor, ac Viror**

Bucelin, Gabriel

[Veldkirch], Anno Christi. M.DC.LXXIX.

Iesu Christi Annus. M.D.XXII. Sancti Patris Benedicti M.XLII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38498

etiam. anno Hieronymus Saccellanus fuit, vir omni scientiarum genere cultissimus, & Medica in primis excellens arte, sacri Palatii sub Leone X. Pontifice Maximo Protophysicus, qui multo nobilior atque perfectior in cellula Monachica factus, mira exin sanctitatis opera dum viveret ostendit. Excrevit vero in tantum, Luca Camaldulensi teste numerus Religiosorum vix nata Reformationis & Congregationis, ut neque locus eos caperet, neque alendis alimentis sufficerent, nisi oportune jisdem Deus, nec sine miraculis subinde, per potentiorum subsidia & pias largitiones subvenisset. *Extendebatur quippe, idem ait, supra modum in audite rigiditate infestaeque austeritatis vulgatum nomen, & spiritalem progressum mirabantur omnes &c. Consulenda Romuliana, Montis Corone libro 3. &c.* Et tantus quidem non solum, ab Oceano saeculi ad portum Religionis, sese Ordini nostro debet numerus, verum etiam multo major, perditissimis hisce temporibus, insolentissimis tanti rigoris tantaeque disciplinae exemplis, à communi ceterorum secularium praecipitio & exitio praereptus, cum nemo haec audiens & intuens, non in admirationem, nisi dementissimae desperationis homo, raperetur, plerique suae salutis effecti memores solidam acta poenitentia, ad meliora consilia converterentur.

IESU CHRISTI ANNUS. M.D. XXII.

Sancti Patris Benedicti M. XLII.

Obstrinxit hoc anno, aeterna fanone necessitudinis sanctissimae obligatione [non aliter atque superius vidimus, ceteros omnes diversarum Regularum aeterno gratiae voluntatis debito devinctos Ordines] Ordo noster & laudatissima illa Ordinis Reformatio & Congregatio Montserratensis, per sanctissimum novae Militiae Ducem Ignatium Loiolam, universam lectullimorum Eiusdem filiorum Reverendorum Patrum Societatis Jesu sacram posteritatem, quem novum vitae Institutum meditantem, Nostri primum quam humanissime exceptum, consilio, auxilio & multis omnino modis promptissime & liberalissime juverunt atque in proposito confirmaverunt; adeoque post DEUM

Optimum Maximum, Ignatio praecipui Auctores fuerunt, ea, ad quae ab Numine impellebatur, absque mora seu trepidatione ulla, constantissime & evidentissime exequendi: *Nam sub initia, [ait ex diversis, cum Montserratensium, tum Patrum Societ. scriptoribus, Marcus Antonius Scipio noster] sua Conversionis, votiva peregrinatione ad Montem Serratim profectus, cum in ade tota Hispania praecipuo DEU patre culu celeberrima, totum se DEO, quique sanctissime Parenti, traducta in precibus nocte, devovisset, tum apud unum ex alumnis Domini Benedicti, totius viae superioris noxas per sacram Confessionem triduo deposuerat; multis etiam praesidijs instructus, non in praesens duntaxat ad avari expectationem ac medellam, sed ad eum sanctitatis apicem, quo postea evasit, securus faciliusque consensionum: Siquidem à Joanne Ciavon [de cuius sanctitate superius] eximia virtutis & innocentiae Canobita (cui de peccatis confessus erat) spiritualibus exercitijs diligenter exercitus est: ipsi ipsi, quae Garzias de Cifredo (sive Cifreiros) admirande sanctitatis Abbas, & Monastica disciplina, non in ea tantum Domo, sed per omnem Hispaniam felicissimus instaurator, paulo ante concinnaverat, quaeque jam inde ab anno millesimo quingentesimo typis vulgata, in Bibliotheca Casinensi aservantur. Fenatius itaque hominem nactus, qualem saluti ipsius rationes requirebant, & ipse optabat maxime, Joanni se totam aperuit, quae mente agitaret, quae designaret in posterum, de procuranda plurimorum salute, deque genere vite huic rei accommodato, ac nominatim de suscipienda Ierosolymitana peregrinatione, cum ea contulit omnia, auctoritate ipsius atque sententia stabilens, quidquid deinceps admirabili studiosius actionumque convenientia, ad obitum usque est exequutus. Quin etiam Manresae (oppido tres circiter leucas à Religiosissima ade distanti) subsistere aliquamdiu decrevit, unde saepius & commodius, Montem Serratim repeteret, seu Virginis colenda studio, seu spiritualis Patris conveniendi necessitate promoveretur &c. De hisce primis eiusdem sanctissimi Viri apud nostros initijs, sic nos in Menologio nostro pridie Cal. Aug. ex eodem Marco Antonio, monumentis Montserratens. Jepselio, Caetano & alijs nostris: Romae Depositio S. Ignatii sive Enneconis*

Eiusdem
conversionis.

Ven. Garzias
de Cifreiros.

S. Fenatius
ab hoc in-
stitutum.

Manresam
se confert.

Menologi-
um Bene-
dicti.

Confessoris, Institutoris sanctissimæ Societatis Jesu, qui Christo militaturus, novum hominem & habitum in Monasterio Beate Matris Admirabilis Montserratensi apud nostros assumpsit, ibique Oblatorum, quos Hispani Donatos vocant, Religioso schemate donatus, & sub Magisterio insignis servi Dei Joannis Clanonij ejusdem Monasterij Monachi ad sanctiorem vitam eruditus, ab eo accepit *Exercitiorum Vita spiritualis* magni illius & excellenti sanctitate viri Garcia Cisnerij ejusdem Ordinis ac Monasterij Abbatis: quo & ipse S. Ignatius, mirabiles in Vita spirituali progressus fecit, & è quo pontissimum, post aliquot annos, sua exercitia elucubravit, &c. Sed de Ignatio Nostorum semper observantissimo, deque impenis eidem à sanctissimo Patriarcha nostro per suos filios Monachos ope & consilio, sapius suo loco, ex supra citatis.

S. Ignatius
Joannis
Clanonij
discipulus.

Hoc etiam anno Illustrissimum lumen Ordinis terris occidit, oritur coelis Beatus Michael noster Florentinus sanctissimæ Camaldulensis Congregationis Monachus perfectissimus, æterno merito Ecclesiam Christi universam demeritis, in ventione & propagatione Rosarij ætatis Christi, quod vulgo vocant Camaldulense. Hic egregia Nobilitate juvenis Laurentij Medicæi Principis Pincerna fuit, eidem in paucis charus, quem cum pietati addictissimum cerneret, ad Sacerdotium ipse Princeps promovit, quo in numero, tanto se dignum gradu, ipsa vitæ comprobavit Sanctitate, eundem Principem Camaldulum aliquando sequutus, amorem. Ordinis imbibit, sed post susceptam prius ad Urbem peregrinationem, tunc primum cucullo se vestijt, inter illustrissima Camalduli sydera merito habendus, Reclusionem paulo post perpetuam impetrans, totus absorptus in Divina fuit, præsertim dum sacris operaretur, tanquam Cherubim in vultu inflammari visus. Dono lachrymarum mirificè excelluit. Orationis autem studio summo perelectatus, Dominicam in ore perpetuo habuit, quasi Christi sacrosancto ore præmansam, exque intimo corde fusam atque inexplicabiliter dulcoratam. Inde Divino monitus Oraculo, Rosarium

Reclusionem
impetravit.

Christi, quod Coronam Domini & Camaldulense vocant, immortali prorsus merito, fidelium perpetuo usui composuit, omnique posteritati commendavit. Quæ Corona omni Dædemate Regio & gemmato pretiosior, tornatis orbiculis, ab ipsomet primum Michaelæ confecta [re cum Majore prius Eremita communicata] Leoni X. Pontifici Maximo, tunc Florentiæ agenti oblata, insigni gratulatione ab eodem acceptata, confirmata Fidelibus Christi toto terrarum orbe commendata, & Indulgentijs ut vocant, & Gratijs largissimis exornata æterno Christianæ Republicæ fructu in hodiernam usque diem religiosissime teritur & usurpatur. Claruit Michael Prophetico Spiritu, aliaque inter Stephano Eremita, Meditationem ab eodem mente formatam, ad verbum describens, quasi tunc capiti ejus in sedes dono misit, hæc in super literis addens: *Ipse MARIÆ semper Virginis JESUS, semper Benedictus filius, dum manibus Venerabilem Eucharistiam contrectarem, cogitatum tuum quem in eum ipsum ex tota anima jecerat, mihi misericorditer revelavit, &c.* Sic etiam Cardinali Mediceo, qui postea Clemens VII. fuit, Pontificatum Urbis & Orbis disertissimè prænuñciavit. Similiter cum Cardinalis Farnesius, qui postea Paulus III. dictus est, sacram Heremum inviseret, Bartholomæo Grotæ, ejus Sacellano, quiritanti quod Cardinali suo gratis serviret, hæc ipsa brevibus hisce insinuavit: *Perge fili, quia aliquando Te Pontifici Maximo famulari intelliges, &c.* Quod audiens Cardinalis, ipse convenit Michaelem, & quando hoc futurum esset? quæsiit. *Post electionem*, inquit, *duorum magnorum Sacerdotum*, Adrianum nimirum & Clementem intellexit. Neque minus sibi ipsi eventura prænuñcians, cum ultimam celebraret Missam, eam supremam esse prædixit. Fuit mirus vitæ ejus rigor, vinum modicam & aqua dilutum die Dominico admisit. A cacodæmone, graviter vexatus & plagis horrendum contusus, tanto majores animi consolationes, quanto plagas aciores meruit. Claruit etiam mira miraculorum gratia, è quibus singulare, cum deploranti mortuum bovem rustico, eundem vivum reddidit.

Corona Domini confirmatur à Leone X.

Spiritus
ejus
Propheticus.

Cardinalis
Farnesij
Pontificatum prædixit.

Miraculum
claret.

didit, Decessit hoc anno, cujus defuncti manum osculatus Venerabilis Justinianus Bergomensis, illico gravi dentium dolore est liberatus, nihil deinceps morbi seu doloris ejusdem persequentens. *Ex Vita, & Augustino Florent. Arnoldo Duaceno & scripti. Camaldul.*

IESU CHRISTI ANNUS. M.D.XXIII.
Sancti Patris Benedicti. M.XLIII.

In valescentibus nimium per Germanias Hæreticis, ipsisque inter se dimicantibus, unanimitè tamen Catholicos impugnantibus & persequentibus, rerum Ordinis pro virili fatagunt Bursfeldenses nostri diversosque Conventus celebrant, quibus non solum solertissimè disciplina cavent, sed vel maximè, cum & Monasteriorum ejusdem Congregationis magnus esset numerus, & plerique amplissimas possiderent ditaciones, quomodo caveatur subditis, ne pravis Hæreticorum dogmatibus infecti perverterentur; & hoc non sine fructu maximo, & immortalis Germaniæ & Romani Ecclesiæ merito, cum vix aspiciam fideles felicitus & certius in fide, quàm qui subditi Religiosus erant, continerentur, etsi nonnulli etiam seditione universali deinceps rusticorum, prædæ potius intuitu, quàm fidei contemptu neglectique in transversum se rapi paterentur, communiquè turbine rebellionis involverentur. Placet pro rei dignitate, catalogum Bursfeldensis prædictæ Congregationis Canobiorum attexere, ex quo meritum quoque æstimes tot majorem partem subditorum in fide avita & Romani Ecclesiæ retentorum.

Bursfeldensis Congregatio
hæc meretur.

Eiusdem
Congregat.
Canobiorum.

1. Bursfeldense ipsum, etsi plerisque alijs subditorum frequentia minus potens pro reverentia tamen tantorum inde emergentium honorum & meritum, ante alia nominandum & celebrandum.
2. Beata MARIE Virg. in Clusa Diocesis Hildesheimensis in Ducatu Brunsvicensi ubi primùm capta Reformatio est, & Bursfeldam translata.
3. S. Matthei prope Treveros insignè admodum Monasterium.
4. S. Joannis Evangeliste in Cismaria. ¹⁴³³
5. SS. Cosmæ & Damiani in Husberg, sive Hilsberg Diocesis Halberstat. 1444
6. Beate Mariae Virginis ad Martyres Treverensè.

7. Mons sanctorum Petri & Pauli Erfurdensè.
8. S. Jacobi Apostoli prope Moguntiam.
9. S. Panthaleonis celebre admodum in Urbe Colonensi.
10. S. Martini Episcopi & Confessoris Colonia.
11. S. Michaelis Archanzeli Hildesheimensè
12. S. Joannis Baptistæ in Bergen prope Magdeburgum.
13. Sancti Pauli prope Bremam.
14. Sanctorum Christophori & Maurij in Hoburg Diocesis Moguntina.
15. Sanctorum Apostolorum Petri & Pauli prope Mersburg.
16. Munch-Neuuenburg in Ducatu Saxonie. 1456.
17. S. Christophori in Rheinhausen Diocesis Moguntinensè.
18. S. Joannis Baptistæ in Reingovia Diocesis Moguntina.
19. Sancti Georgij prope Neuuenburg.
20. Sanctorum Petri & Aurelij Hirsau-giense Diocesis Spitzsè in Wirtemberg.
21. Gottisaugia vulgo Gotsauw in Marchionatu Badensi.
22. Sanctorum Maurij & Simeonis in civitate Mündensi.
23. Wiblingen sive Wüllingen in Suevia & Diocesi Constantiensi.
24. SS. Petri, Pauli & Georgij in Schwarzach Diocesis Argentinen-sis.
25. Sancti Stephani Herbipoli in Franconia &c.
26. Sancti Florini in Schönauw Diocesis Treverensè.
27. S. Blasij in Northeim Diocesis Moguntinensè.
28. SS. Cosmæ, Damiani & Simeonis Iusti in Lisborâ Diocesi Monasteriensi.
29. Jfsenburg Diocesis Halberstatensis.
30. Sancti Gouhards Hildesheimensè.
31. S. Michaelis in Monte Monachorum prope Bambergam Franconia.
32. S. Landvini in medio Lacu Diocesis Treverensè.
33. Beatissima Matris Virginis in Posavia.
34. S. Clementis in Jburg Diocesis Osna-bruzensis. 1468.
35. Conradesburg.
36. Cella MARIE; olim Elsen, Diocesis Lubecensè.
37. Scinnensè Monasterium in Diocesi Mündensi.
38. Sanctorum Petri & Pauli in Ames-leber.

39. San-